



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

II. Quod si quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subiacebit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

gressis, sed per plurimos gradus examinatis, temporibus deferunt; quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, ut in caelesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit? & prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitii: nec illi vile sit, exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia antea facta testentur. Iure inde summi pontificis locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio confacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, diuinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse iudicii. Rarum est enim omne quod magnum est.

## II.

Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogemus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam; non tantum eorum, qui in ea prouincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ prouinciis adiunguntur. Sciet (quisquis hoc, proposita patrum & apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit) a nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties vsurpatur.

## III.

Dist. 77.  
In singulis:  
& in Decr.  
Siricii ad  
Himerium  
Tarraconen.  
cap. 8.  
& 9.

Hæc autem in singulis gradibus obseruanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores vsque ad vicesimum ætatis annum continuata obseruatione perduret. Si maior iam & grandæuus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter lectores,  
siue